



Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologica

Ex Sacris Scriptvris, Conciliorvm Pontificvmqve Decretis, Et Sanctorvm Patrvm Ac Doctorum Placitis Expressa ; In qua, quidquid tum ad fidei mysteria sanè ac rectè intelligenda, & ab erroribus quibusvis secernenda, tum ad sacramenta debitè conficienda & ministranda, tum ad actiones humanas iuxta ...

Complectens ea quæ ad Sacramenta & mores pertinent

Abelly, Louis

Coloniæ Agrippinæ, 1659

II. Explicatur secundum decalogi præceptum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38979

prophanos vel supersticiosos adhibent; imagines sanctorum contumeliosè tractant; sacrae scripturae verbis ad supersticiosas ridiculas, vel falsas abutuntur.

SECTIO II.

Explicatur secundum Decalogi praeceptum.

Non assumes nomen Domini DEI tui in vanum.

HVIVS secundi praecepti verbis ex una quidem parte prohibetur abusus divini nominis, & irreverentia illa, quae committitur à blasphemis, perjuris, aut temerè jurantibus: & ex altera praecipitur, ut summa reverentia nomini divino exhibeatur; jurata serventur; & vota Deo facta fideliter adimpleantur. Quapropter ad illius faciliorem & pleniorè explicationem de tribus praesertim hic agendum est, scilicet de juramento, de blasphemia, & de voto.

§. I.

De Juramento.

OBSERVANDUM est, secundum doctrinam S. Thomae q. 89. a. 1. & seq. juramenti nomine significari actum religionis, quo quis Deum in testem adhibet, ejus testimonium invocat in confirmationem eorum, quae asserit, vel promittit; eaque ratione profitetur divinam veritatem esse indefectibilem.

Fit autem juramentum vel expressè, cum quis jurat per Deum aut per Christum, &c. vel tacitè, ut cum quis jurat per creaturas aliquas, quatenus in illis divina bonitas, & potentia elucet; ut quando quis jurat per sanctos, per an-

nam suam, per solem, per ignem, &c. in his enim & similibus juramenti censetur creatura in testem adduci, non per se, sed quatenus dicit ordinem ad Deum, præsertim si addatur nomen ipsius Dei, v. g. si juretur per ignem Dei, & quòd si quis creaturas illas nominaret sine ullo ad Deum respectu, ille non censeretur jurare: unde etiam Navar. cap. 12. & alii Doctores existimant istos loquendi modos (per fidem meam, in fide probi viri, in conscientia) non sufficere ad veram & propriam juramenti rationem; qui enim ijs utuntur, si nihil aliud intendunt, significare tantum videntur se aliquid asseverare ex veracitate, & veritate quæ virum probum decet.

Est etiam alius jurandi modus, quem S. Thom. art. 6. dicit fieri per execrationem; quando quis sibi, vel suis malum aliquod imprecatur, sicque Deum non modò in testem, sed etiam in vindicem invocatur, nisi dicta sua veritati consonent.

Quocunque autem modo juretur, ut id licitè fiat, tres in juramento conditiones requiri docet idem S. Thom. Art. 3. ut scilicet juretur in veritate, in justitia, & in iudicio, juxta id quod habetur Ierem. *Jurabis; Vivit Dominus, in veritate, & in iudicio, & in justitia.* Veritas juramenti in eo consistit (prout explicat S. Doctor) ut id quod juramento asseritur, eximetur esse verum ab eo, qui jurat: justitia, ut juramentum fiat de re licita & honesta: iudicium, ut non fiat nisi ex gravi & necessaria causa.

Cùm autem juramenta (ut supra insinuatum est) alia sint assertoria, alia promissoria; hoc istorum proprium est, quòd is qui sub juramento promissit se aliquid facturum, illud adimplere sub peccato mortali teneatur, etiamsi illud quod promissum est leve sit & parvi momenti, ut docet Toletus Lib. 4. cap. 22. & cum illo communiter omnes.

Sunt tamen aliqui casus (ut monet idem author) in quibus nulla est, vel cessat juramenti promissorii obligatio; ut si quis juret de re aliqua mala faciendâ; tunc enim jurans peccat, nec tenetur; imò nec licitè potest illam

S 3 exequi

exequi. Similiter cessat obligatio juramenti; si res per illud promissa fiat impossibilis, vel si absque peccato impleri non possit. Tollitur etiam eadem obligatio dispensatione Episcopi, & aliis modis quibus voti obligationem cessare infra dicitur. Spectanda etiam est in multis casibus intentio jurantis, ut ex illa juramenti interpretatio petatur: g. qui jurat se filium, aut servum castigaturum, non ita intendit se ad id obligare, quin sibi reservet facultatem, si ita expedire videatur, poenam illam remittendi: similiter qui volens alteri honoris causa primum locum cedere, se in illo non sessurum jurat, non intendit ita se obligare, quin, si alius acceptare nolit, possit locum illum sibi retinere. In iis tamen & similibus casibus longe consultius est, à juramenti ejusmodi abstinere, cum nulla sit tunc jurandi necessitas; unde juramenta illa à peccato sa ltem veniali excusari non possunt.

Quamvis verò juramentum licitum sit, non est tamen de genere bonorum (ut recte monet S. Doctor Art. 5) quae sunt per se bona & appetenda, ut oratio, elemosyna, &c. sed illorum quae tantum bona sunt, & appetenda posita aliqua necessitate; sicut medicina, quae non nisi prementis aegritudine prodest: unde similiter juramentum, cum sit velut remedium, quod in fidei humanae defectum assumitur, non nisi raro & urgente necessitate usurpandum est: quo sensu dixit Christus Dominus, *S. Matth. 1. Ego caeterem dico vobis, non jurare omnino, neque per calum, &c.* quae verba explicans S. Aug. lib. 1. de ser. Dom. in monte c. 17. *Ita ergo, inquit, intelligitur, praecepisse Dominum, ne juret quisquam sicut bonum appetat iusjurandum, & assidue jurandi ad periurium per consuetudinem delabatur: quae propter qui intelligit non in bonis, sed in necessarijs iurationem habendam, refranet se quantum potest, ut non ea statatur nisi in necessitate, &c.*

Porro quam perniciofa sit jurandi consuetudo varijs locis scriptura divina testatur ac praesertim Eccli. 23. *Iurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illa, &c.* *Uultum intans implebitur iniquitate, & non discedet à dicitur*

istius plaga. Qua verò ratione prava hæc consuetudo tolli, & evelli possit docet S. Chryl. Hom. 5. ad pop. Antich. his verbis: *Vu discere, quomodo ab hæc impia consuetudine iurandi liberari possis: ego te quendam docebo modum quem, si tenueris, superabis omnino, cum videris te ipsum vel alium quemque servorum, vel filiorum, vel uxorem hoc malo captos, & sapius commones factos, nec tamen correctos, iube incenatos cubare, & hanc tibi illique damnationem impone, damnationem inquam, non damnum, sed lucrum ferentem.* Idem in hom. ad baptizandos hoc aliud remedium proponit. *Ab omnibus coniunctis hoc postula, hoc pete beneficium, ut te iurantem arguant, & confundant.* Optime S. Hier. Ep. 14. ad Celantiam: *Mentiri, inquit, & iurare lingua tua prorsus ignoret; tantusque in te sis amor veri, ut quidquid dixeris, iuratum putes.*

§. II.

De blasphemia.

BLASPHEMIA secundum doctrinam S. Tho. 22. q. 13. 2. est peccatum, quo quis ex pravo cordis affectu, de excellentia divinæ bonitatis detrahit, illiq; contumeliam infert, vel negando aliquid quod ipsi proprium est, vel aliquid imponendo, quod minimè ei convenit, sive id ore fiat, sive solum mente concipiatur.

Alia est autem blasphemia simplex, alia hæresi conjuncta: illa dicitur hæresi conjuncta, quæ aliquid de Deo asserit vel de illo negat, quod est fidei contrarium; ut si quis dicat Deum esse crudelem, non esse providum &c. quod observare debent confessarii, ac pœnitentes qui se de talibus accusant, interrogare, num ita esse crediderint.

Blasphemia verò simplex ea est, quæ non tam fit per modum assertionis, seu enunciationis, quàm per modum detestationis, ac veluti cujusdam imprecationis in Deum: ut si quis Deo maledicat, aut verba probrosa in Deum proferat, itè si contumeliosè partes quasdam corporis Christi

nomin-

nominet, ut caput, sanguinem, mortem Dei, quasi ob
 Dei filium contemptibilem aestimet, illique stupen-
 dè profus impietate exprobrat, quod propter nimiam
 nos charitatem carni & sanguini communicare voluit
 & in carne assumpta pro nobis mori.

Quamvis autem is qui cum debita reverentia in re-
 ximi momenti adfirmendam dictorum suorum ver-
 zem Christi Domini nomen interponeret, eiusque
 pus, sanguinem vel mortem pro nobis perpeffam homi-
 causa nominaret, ut rectè observat Bonac. Disp. 3. qu. 1.
 blasphem. pu. 2. nihilominus supradicti loquendi modi,
 ratione proferri solent, vix à peccato blasphemiae excu-
 possunt; cum semper in illis reperiatur formalis aliquis
 aut saltem tacitus Dei contemptus, nisi fortè (ut docet
 Nav. c. 13. 1.) linguæ ac mentis præcipitatio, (ut accidit
 iis qui subita aliqua ira corripuntur) ob indeliberatam
 nem, & inadvertentiam à peccato mortali excuset: quæ
 men excusatio locum non habet in ijs, qui pravam illam
 blasphemandi consuetudinem deliberatè contraxerunt
 nec ullo modo illam corrigere, aut emendare curant.

Docet autem S. Thom. sup. 2. ad 2. blasphemiam non
 modò in Deum sed etiam in sanctos committi posse: non
 enim laudare sanctos, quatenus ad Deum pertinent, est
 que amici ac filii charissimi sunt, ipsi per charitatem
 gloriam coniuncti, est actus virtutis religionis; sic illi
 maledicere, aut contumeliam aliquam irrogare, est pe-
 catum blasphemiae.

Ad eandem blasphemiam reducitur peccatum illud
 quod committitur maledicendo creaturas, quod quatuor
 modis fieri potest ut observat Tolet. lib. 4. c. 53. Primo
 considerando quatenus sunt creaturæ Dei, & hac de causa
 illis maledicendo, & hoc est peccatum blasphemiae: secun-
 dò ratione alicuius creaturæ rationalis, cuius illæ sunt
 g. maledicere, aut imprecationem aliquam facere contra
 armenta, vineas, &c. quia huius vel illius sunt: & hoc est
 peccatum contra charitatem proximi. Tertio creaturæ
 rationales aut inanimatæ possunt considerari secundum

se præcisè: & ea ratione illis maledicere, est actus otiosus, & peccatum veniale. Quartò denique considerari possunt ratione alicuius mali, vel incommodi quod inferunt; & ea ratione illis maledicere, non est peccatum: est enim hoc potiùs ipsi malo quàm creaturæ maledicere; sic Iob maledixit dieci, in quo natus est; David montibus Gelboë, in quibus Saül occisus est.

§. III.

De voto.

QUATVOR præsertim circa votum investiganda sunt: primò, quid sit votum, & quotuplex: secundò, quænam personæ votum emittere possint: tertio, quanta sit ipsius voti obligatio: quarto denique, quibus modis hæc voti obligatio cessare possit.

Quod ad primum spectat, votum (ut docet S. Thom. q. 88 a. 1. & 2.) est *Promissio deliberata Deo facta de aliquo meliori bono.*

Dicitur, *Promissio*: quia non est nudum & simplex propositum, ut constat ex cap. *Litteraturam* de voto; sed ad illius rationem requiritur promissio cum vera voluntate se obligandi.

Dicitur, *Deliberata*: promissio enim subita & inconsiderata non sufficeret ad rationem voti, ut ex communi Theologorum consensu docet Nav. c. 22. n. 24. qui etiam rectè observat tantam ad votum faciendum deliberationem requiri, & sufficere, quanta requiritur, & sufficit ad peccatum aliquod mortale committendum.

Dicitur, *Deo facta*: quia votum, cum sit actus religionis & patriæ, ut docet S. Thomas, soli Deo fieri debet: quòd si interdum apud quosdam authores (ut apud Eusebium lib. 13. de præpar. Evang. ca. 7.) vota sanctis martyribus, & aliis in cælo beatis nuncupari dicuntur, id intelligi debet ad eum modum, quo templa & altaria sanctis dicari dicuntur, quia Deo in honorem sanctorum dedicantur; vel in
quan-

quantum censetur homo vouere ipsi Deo id, quod sanctis se impleturum promittit. Quod si promissio alicuius pii operis fiat alicui sanctoprecise ad honorem eius sanctitatis ac gloriae testificationem, tunc eiusmodi promissio sacra quidem est, & ad Dei cultum mediate ordinata, sed non est proprie votum, neque actus iustitiae, sed solius dulciae siue obseruantiae, ut fufius explicat Suares.

Dicitur denique, *De bono meliori*; quibus verbis significatur materiam voti duplicem habere debere conditionem: prima est, ut sit opus bonum, siue sit tantum in consilio, siue in precepto: secunda, ut opus illud bonum quod vouetur, melius sit, quam eius oppositum; id est, non sit ex se alicuius operis excellentioris & perfectioris impeditiuum.

Aliud est autem votum personale, aliud votum reale: aliud item absolutum, aliud conditionale; aliud simplex, aliud solemne: aliud expressum, aliud tacitum.

Votum personale est, quo promittitur aliquid, quod personam vouentis spectat; ut cum quis vouet peregrinationem: reale, cum res aliqua Deo promittitur, ut elemosyna. Et haec est vtriusque differentia; quod etiam si haeres transcat obligatio voti realis, non item personalis, ut communiter Theologi docent, & colligitur ex eorum parte, de censibus.

Votum absolutum est, quod independenter a quacunque conditione emittitur: conditionale vero quod non fit nisi sub aliqua conditione; ut si quis peregrinationem voueat si a tali morbo liberetur; & eiusmodi vota non obligant nisi posita illa conditione: quae tamen conditio contraria esse non debet vel substantiae vel honestati ipsius voti; ut si quis voueat ea conditione, ut ad implendum id quod vouit non obligetur; vel si quis voueat sub ea conditione, quod in lite iniusta victor euadat: haec siquidem conditiones votum irritum & inualidum reddunt, ut docet Bonnac, disp. 4. q. 2. de voto pun. 2.

Votum simplex consistit in nuda & simplici promissione DEO facta; solemne vero illud est, quod vel

receptioni ordinis sacri vel professioni religionis approbata coniunctum est ut habetur cap. unico de voto in 6.

Quod spectat ad personas voti emittendi capaces, docet S. Th. Suprà art. 8. & 9. duo præsertim exparte illarum requiri. primum est, ut qui vouet, usum rationis sufficienter adeptus sit illiusque compos existat: unde pueri ante usum rationis. & amentes, ac furiosi votum emittere non possunt. Quomam vero difficile est discernere, quo præcise temporis puncto sufficiens illud rationis lumen in pueris exoriatur, ideo ex comuni Doctorum consensu (ut docet Laym. Tract. 4. de voto cap. 7. vota ante septennium edita censentur irrita, & inualida esse nisi probabilissimæ coniecturæ suadeant sufficientem rationis usum in tenera illa ætate adfuisse; & contra vota post septennium emissa, valida esse, & obligatoria, nisi certa indicia ostendant sufficientem rationis usum defuisse.

Secundum est, ut persona quæ vouet, sui juris sit quoad illud quod vouet; nullus enim subditus (ut asserit S. Doctor q. 88. a. 3.) firmiter voto se obligare potest in iis, in quibus potestati alterius subiacet, nisi consensus eius accedat.

Observat autem rectè Gregor. à Valentia disp. 6. q. 6. de voto pun. 6. S. Doctorem non dixisse votum subditi esse nullum, sed solummodo non esse firmum nisi accedat consensus superioris: votum siquidem à persona subdita emissum, est verum votum, pendens tamen ex superioris consensu tanquam ex conditione, quæ si accedat, tunc censetur validum; si verò superior contradicat, fit irritum.

Hinc colliges 1. vota omnia sive personalia sive realia impuberum irritari posse à patre, tutore aut aliis personis quorum potestati sub sunt; quod & de religiosis professis similiter intelligendum est respectu superiorum: ad quam irritationem (ut docet Nav. cap. 12. nu. 69.) sola superioris voluntas sufficit, nec ulla alia causa aut ratio requiritur.

Colliges 2. quòd, quamvis vota realia puberum, à te.
quam

quam ætatem à lege præscriptam attigerint ad plenam liberam bonorum dispositionem, ab eorum parentibus irritari possint; illorum nihilominus vota personalia, quæ patris potestati nullum afferunt præiudicium, valida sunt, nec ab eorum parentibus possunt irritari. Ita S. Tho. art. 2. ubi docet, pueros vel puellas post annos pubertatis, scilicet in pueris post decimum quartum, in puellis vero post duodecimum posse quocunque voto simpliciter, vel etiam solemniter religionis se obligare; iure tamen novo Concilii Trid. sess. 25. art. 15. cap. ad votum solemne professionis religiosa requiritur ætas sexdecim annorum completorum, antè quam ætatem, sicut & ante tempus annuæ probationis exactum professio in illa irrita esse censetur.

Colliges 3. uxoris vota, quæ ab ea fiunt de iis, in quibus marito iubest, posse ab illo irritari, ut habetur, c. scriptura de voto; sed difficultas est inter Theologos, quænam sint ea in quibus uxor marito ita subest, ut sine illius consensu de iis votere non possit: quidam enim, ut Sorus, Palud. & alii apud Laym. Tract. 4. de voto c. 7. existimant, uxorem æque viro subditam esse, ac religiosum prælato vel superiori; unde inferunt, qualibet illius vota posse à marito irritari: alii tamen probabilius & veriùs existimant mulierem tantum subesse marito quoad coniugii usum & familiæ gubernationem, eaque proinde tantummodo vota, quæ usui coniugii, vel familiæ gubernationi præiudicium afferunt, quod afferunt posse ab eius marito irritari. Ita Sylv. verbo (votum) Nav. c. 12. n. 64. Azor. c. 17. q. 12. Suar. lib. 6. de voto c. 4. aliique multi.

Addit etiam Laym. Suprà uxorem similiter posse mariti sui vota rescindere, quæ derogant iuri quod habet in corpore eius; e. g. si voteret immoderatam aliquam abstinentiam, aut longinquam aliquam, & diuturnam peregrinationem: imò & existimat, vota quoque realia mariti posse ab uxore rescindi, si cedant in detrimentum notabile dotis, vel aliorum bonorum, quæ ipsi cum marito communia sunt, & quorum administratio penes ipsum est.

§. IV.

Quanta sit voti obligatio, & quibus modis cessare possit.

QUOD ad primum spectat, certum est votum esse obligatorium; ita ut qui illud implere omittit, peccati reatum incurrat, ut docet S. Thom. Sup. a. 3. & constat ex scriptura Deut. 23. *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabit reddere, &c. & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum;* & 1. ad Timoth. 5. *habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt:* quæ Apostoli verba in Concil. Carthag. 4. c. 104. & Tolet. 4. ca. 55. intelliguntur de viduis, quæ votum castitatis violaverant.

Quamvis autem voti transgressio sit peccatum ex genere suo mortale, nihilominus ob materiæ levitatem potest esse tantum veniale, ut docet Nav. c. 12. nu. 65. Tol. lib. 4. c. 17. & alii communiter. votum enim se habet per modum cuiusdam privatæ legis quam vovens sibi imponit; unde non videtur maiorem inferre obligationem, quàm lex divina vel Ecclesiastica, cuius transgressio in materia levi non nisi peccatum veniale esse censetur.

Verùm super hac voti obligatione quæres 1. quo tempore incumbat obligatio voti adimplendi; seu quamdiu citra peccatum illius executio differri possit? Resp. cum distinctione: vel enim vovens ipse tempus determinavit, vel non: si primum, executio voti ultra illud sine peccato differri non potest; & eò maior erit culpa, quò diuturnior erit mora, ut docet Suar. & alii apud Laym. sup. c. 3. si verò vovens tempus illud non determinavit, debet votum suum adimplere cum primum commodè poterit, aliàs si absque causa & ratione differat, peccabit ut docet S. Thomas art. 3. ad 3.

Rectè autem observat Laym. supra irrationabilem dilationem voti, quo quis se obligavit ad ordinem sacrum sus-
pi-

cupiendum, aut religiosum statum amplectendum, citius mortalem culpam pertingere; quia cum ex vi talis voti obligatus sit homo ad perpetuum & speciale obsequium Deo præstandum, quanto magis ejus executionem differt, tanto majorem obsequii Deo promissi veluti partem aufert: quod non eodem modo in aliis votis, v.g. peregrinandi, ieiunandi, &c. hæc enim, tametsi differantur, integre tamen impleri possunt.

Quæres 2. an quis possit voto suo alterum obligare, an parentes, qui vovent filios statim religiosum amplecturos, voto suo filios ad statum illum amplectendum obligent. Resp. negativè; quia obligatio voti, sicut & cuiuscunque promissionis, ex propria voluntatis consensu nasci debet; unde sequitur, quod non aliam quam ipsam voventem obliget: si tamen filii votum illud parentum approbent, & ratum habeant, tunc ad illud implendum tenebuntur. Ita Suar. lib. 4. de voto c. 9. Bonac. disp. 4. q. 2. de voto pu. 5. & alii.

Quæres 3. quando in voti executione laboritur aliqua difficultas, qua ratione illius voti obligatio sit interpretanda. Resp. spectandam in primis esse voventis intentionem, ex qua vis omnis, & modus obligationis nascitur. Quod si de illius intentione non satis constet, verba, quibus votum suum explicavit, erunt expendenda, & secundum magis communem significationem erunt accipienda, juxta illud Deut. 23. *Facies, sicut promissisti Domino Deo tuo, & propria voluntate & ore toto locutus es.* Quod si neque intentio voventis, neque illius verba rationem voti satis explicent, spectanda erit ipsius voti materia; & secundum eius naturam ac conditionem votum erit exequendum: e.g. qui vovit certa die se ieiunaturum, votum exequi debet secundum formam ieiunii Ecclesiastici; ita ut abstinere à carnibus, & unica refectioe contentus sit: qui vovit se recitaturum rosarium, debet illud pie & attentè recitare: quia scilicet talis est ratio & conditio ieiunii & orationis. Ita Suar. sup. cap. 7. Valent. disput. 6. q. 6. de voto pu. 4. & alii.

Quod

Quod spectat ad secundum; quatuor præsertim modis obligationem voti cessare Doctores asserunt.

Primus est, quando talis & tanta rerum mutatio accidit, quæ si ab initio prævisa fuisset, votum illud in tali casu emissum non fuisset. Ita Nav. Suar. & alii, quos citat & sequitur Bonac. disp. 4. q. 2. de voto pu. 7. e. g. si quis voveat se ieiunaturum omnibus diebus veneris, illique superveniat ægrotatio talis, quæ ab observatione ieiunii Ecclesiastici excusaret; tunc non censetur ad ieiunium illud servandum obligari.

Secundus est, quando votum irritatur, & rescinditur, ut quando superior irritat votum religiosi sibi subditi, tutor pupilli, vir uxoris: tunc enim cessat obligatio eiusmodi voti adimplendi, ut parag. præced. explicatum est.

Tertius, quando superioris autoritate cum vovente super voto dispensatur: quod ut facilius intelligatur observandum est ex Nav. c. 12. nu. 63. hanc esse differentiam inter dispensationem & irritationem voti: quod dispensatio proprie spectat ad potestatem spiritualem, & ut valida sit, causam aliquam legitimam requirat: irritatio vero pertineat ad potestatem dominativam, sive spiritualis illa sit, sive naturalis vel politica; neque ad hoc ut valida sit, ullam aliam causam requirit præter voluntatem superioris.

Hac observatione supposita, certum est extare in Ecclesia veram & legitimam potestatem dispensandi in votis & aliis obligationibus, quibus homo erga Deum obstrictus tenetur, ut docet S. Thom. art. 10. & 12. & constat tum ex illimitata potestate solvendi à Christo Domino Ecclesie concessa, S. Matth. 16. tum ex eiusdem Ecclesie perpetua praxi.

Neq; dicas obligationem ad vota servanda esse iuris divini, proindeq; Ecclesiam dispensare non posse ut vota non impleantur; sicut nec dispensare potest ut alia legis divinæ præcepta non servantur. Resp. enim cum S. Doctore a. 10. ad 2. per dispensationem non dari licentiam, ut quis votum suum transgrediatur; sed autoritate legitima superioris dispensantis fieri, ut hoc, quod continebatur sub voto, amplius sub illo non contineatur, in quantum deteminatur non esse congruam materiam voti.

Ces.

Certum est præterea ex eodem S. Doctore sup. & communiter Theologis, potestatem dispensandi in jure ordinario competere solis Ecclesiæ Prælati jurisdictionem in foro exteriori habentibus; proindeque manum Pontificem, utpote supremum Ecclesiæ rectorum in quibuslibet fidelium votis, sive simplicibus sive solennibus, dispensare posse, ut docent S. Ant. 3. part. tit. 2. & Henr. Gandav. quodlib. 5. q. 28. Rich. in 4. dist. 38. art. 3. Nav. c. 12. nu. 65. & plures alii quos citat & sequitur L. lib. 2. c. 40. dubit. 19.

Quod spectat ad Episcopos, certum est etiam illos in omnibus votis subditorum suorum dispensare posse, si quæque tantummodo excipiantur, nimirum perpetuæ continentiæ, religionis, peregrinationis Hierosolymitanæ, ad limina Apostolorum Romam, vel ad S. Iacobum Compostellam, ut observat Nav. supra: unde patet Episcopos dispensare posse in voto castitatis non perpetuæ, & in non nubendi, quod differt à voto perpetuæ castitatis, quæ per fornicationem non violetur; item in voto suscipiendi sacros ordines, quod differt etiam à voto perpetuæ castitatis, quod est illi tantummodo annexum. Addit L. Sup. dub. 18. & plurimorum Theologorum auctoritas probat, Episcopum dispensare posse in quibusdam votis reservati conditionibus; e.g. si quis vovit ingredi religionem strictam, potest dispensare ut ingrediatur laxiorem: licet ut professus in arctiore transeat ad laxiorem, nisi forte obstet statutum aliquod peculiare à summo Pontifice confirmatum: similiter posse dispensare cum eo, qui nullo modo misso perpetuæ castitatis voto matrimonium contraxerit, consummavit, ut stante tali matrimonio petere possit divorcium. Tol. lib. 4. c. 18. etiam existimat, quinque illa vota tunc solum censeri summo Pontifici reservata cum ab Episcopis dispensari possent; quando verò sub conditione aliqua edita servat neque summum Pontificem, neque Episcopos, quosvis alios superiores posse sine justa & rationabili causa in votis dispensare, aliàs dispensatio non modo non

varr. & plures alii apud Layman. tract. 4. de voto cap. 1. potestas enim spiritualis non in destructionem, sed in edificationem à Christo Domino Ecclesiæ Prælatis collata est.

Cæterum iustæ causæ dispensandi in votis ex quadruplici præsertim capite peti debent, ut observat idem Layman. ibidem. Primò ex ipso actu votendi; ut si quis absq; perfecta deliberatione ex quadam præcipitatione, vel animi levitate aliquid voverit, ut habetur ex cap. 2. de voto. secundò ex materia voti; si nimirum spectata corporis constitutione, animi imbecillitate, & aliis similibus dispositionibus, dispensatio voti in majorem ipsius voventis, utilitatem spirituales (quæ præsertim hic spectanda est) cessura videatur. Tertio ex difficultate, voti adimplendi postea superveniente, vel antè non prævisa. Quarto deniq; ex aliqua necessitate notabili, vel utilitate magna Reipublicæ, aut etiam familiæ; ut si quis longam vovisset peregrinationem, cum præstaret illum reipublicæ regendæ, aut gubernandæ familiæ potius interesse. Quod voto maius seu dignius est votum, eo etiam maiore & gravior causa requiritur, ut licitè & validè super illo dispensari possit: & ut plurimum ad majorem cautelam consultum est, pium aliquod opus per modum cujusdam compensationis injungere illi, cum quo dispensatur.

Quæres, an sicut Prælatus cum subditis, sic etiam possit secum in propriis votis dispensare. Resp. posse indirectè, dando alicui ex subditis potestatem secum dispensandi; sicut sacerdoti sibi subdito dare potest facultatem, qua ipsum a peccatis sibi reservatis absolvat. Addit Lessius supra dub. 17. posse illum etiam directè secum in votis ex causa iusta dispensare, probatq; ex eo, quod secundum doctrinam S. Thomæ quam ibidem citat, possit sibi ipsi dare Indulgentias.

Quartus denique modus, quo cessare potest voti obligatio, est per ipsius voti commutationem; circa quam dicimus 1. posse voventem propria sua autoritate votum suum commutare in id, quod spectatis omnibus, melius est, &

est, & Deo acceptius, dummodo tamen votum illud non sit summo Pontifici reservatum. Ita Sot. Suar. Azor. & alii quos citat & sequitur Laym. sup. c. 8. & constat ex c. commutatio, & ex cap. *Peruenit* de iureiurando; ubi dicitur quod *Promissum non infringit, qui illud in melius commutat.* Item id docet S. Thomas vota quæcunque etiam summo Pontifici reservata propria cuiusque autoritate commutari potest, si sit in vota illa, quæ in professione religiosa emittuntur, ex quo quod expresse declaravit Alexander 3. c. *Scriptura de Catechismo*, ubi dicit quod *Rem fracti voti non habetur, qui tempore obsequium in perpetuam religionis observantiam noscitur commutare.* Rationem hanc affert S. Doctor artic. 12. ad Laym. tract. quod alia omnia vota sunt quorumdam particularium, sed per religiosam professionem homo totam vitam suam Dei obsequio deputat; particulare autem in generali includitur.

Dicimus 2. commutationem voti in aliud opus quale proprio votantis arbitrio fieri non posse. Ita Suarez & alii apud Laymannum sup. cap. 8. Ratio est, quia non potest aliud pro alio solvi non consentiente promissario; atqui Deus non videtur consentire, ut ab obsequio sibi per votum promisso ad libitum votantis recedatur, nisi causa aliqua iusta urgeat, cuius cognitio ad superiorem pertinet; vel nisi obsequium aliquod evidenter melius ipsi exhibeatur; tunc enim promissionem non violat, sed auctiorem reddit.

Dicimus 3. illum, cui iure ordinario vel per delegationem competit facultas dispensandi in votis, competere etiam facultatem eadem vota commutandi: quia iuxta regulam iuris reg. 3. in 6. *Cui licet quod est plus, licet minus quod est minus;* at plus est posse dispensare in voto, quam illud commutare.

Quæres, utrum ad commutationem votorum valide licite faciendam causa aliqua requiratur, sicut superius quiri diximus ad dispensationem. Resp. nullam requiri, quando commutatio fit in aliquid melius, ut docet Novales, cap. 12. num. 63. Si verò fiat in æquale vel minus, existimatur

Illud quatuor libro 6. de voto cap. 19. causam aliquam rationabi-
 or. & eam requiri, non tantum ut licita, sed etiam ut valida sit
 ex c. commutatio; sufficere autem arbitratur Laymannus, si is
 tur qui vovit, voti sui commutationem instanter perat: tunc
 statim idonea ratio adesse videtur, ut eius fragilitati con-
 o Potest ascendatur, quò maiore cum solatio & animi alacritate
 atan voti sui debitum in alia materia, ad quam magis affectus
 itant, exoluat.

de de Caterum quæ de voti irritatione, dispensatione. &c.
 temp adenus dicta sunt, similiter de iuramenti irritatione,
 itur dispensatione, &c. intelligenda esse docet, & fuse explicat
 12. ad Laym. tract. 3. de iuramento cap. 11.

9. V.

*Quot modis peccetur in secundum Decalogi
 præceptum.*

CONTRA secundum Decalogi præceptum peccant il-
 li, qui iuramento falsum asseverant, scientes, aut exi-
 stimantes esse falsum, aut dubitantes num sit verum:
 five id contingat in re levi aut gravi, sive iocandi, aut se
 excusandi gratia id faciant: & qui se periculo falsum iu-
 randi exponunt: aut qui advertentes ex prava iurandi
 consuetudine se frequenter iurare falsum, de emendatio-
 ne non curant.

Item qui iuramento pollicentur, se aliquid facturos,
 quod tamen facere non intendunt; aut qui, postquam se
 iuramento obstrinxerunt ad aliquid faciendum, illud ad-
 mplere nolunt; vel qui iurant de re aliqua mala fa-
 cienda.

Peccant etiam contra hoc præceptum, qui verum qui-
 dem iurant, sed absque necessitate, vel in re levis momen-
 ti; & hoc peccatum (ut docet Toletus) ut plurimum
 tantummodo veniale est, nisi fortè ob pravam iuran-
 di consuetudinem, & periculum peierandi fiat mor-
 tale, ut plerumque contingere potest in illis, qui qua-
 cumq; data occasione adorandum Dei nomen irreverenter,
 & non

& non sine aliquo contemptu; rebus ludicris, & frivolis interponunt, vel se ob res levissimas dæmoni devoverunt, aut alio iuramento execratorio utuntur.

Peccant præterea illi, qui blasphemias in Deum vel sanctos proferunt; illos iniuriosè & contumeliosè nominant, illis detrahunt, maledicunt, aut iniuriantur. qui non tantum impie quàm irreverenter quibuslibet rebus etiam animalibus, quando turpibus, aut nefariis corpus, caput, & sanguinem Dei interponunt.

Peccant denique, qui vovent aliquod malum, vel contra quod bonum, sed malo & perverso fine: item qui vota adimplere omittunt, aut illius executionem sine necessitate, vel causa differunt: qui vota realia illius, cui excepserunt hæreditatem, adimplere non curant: qui aliquid ad vovendum vi, metu, vel dolo inducunt: qui voti dispensationem obtentu causæ alicuius falsè impetrantur.

SECTIO III.

Explicatur tertium Decalogi præceptum.

Memento ut diem Sabbathi, sanctifices.

HOC tertium Decalogi præceptum (ut asserit S. Doctor q. 121. a. 4. ad 1.) partim morale est, partim ceremoniale: morale quidem, quatenus per illud præcipitur, ut homo sepositis aliis temporalibus negotiis, quod vitæ suæ tempus divino cultui religionis quæ exco-
 tiis deputet: ceremoniale vero, quatenus dies Sabbathi designatur, in quo temporalia opera intermittere, & soli Deo eiusque cultui vacare iubetur; id quæ tum in memoriam beneficii creationis, Deus enim universum mundum sex diebus perfecit, & septimo die ab operibus quiescit.